

# FRAN CISCVS PP

*ad perpetuam rei memoriam.*

*Non enim accepistis spiritum ser-  
vitutis iterum in timorem, sed accepistis  
Spiritus adoptionis filiorum, in quo  
clamamus: ~ Abba, Pater! ~ ~ Rom  
8, 15 ~ Verba apostoli Pauli bene ad Ve-  
nerabilem Servum Dei Mariam Eu-  
genium a Jesu Infante, in saeculo Hen-  
ricum Grialou, adhibere condecet, qui to-  
tam vitam peregit contemplationem et  
orationem coniungens cum actione ope-*

rosa, et ita magister et dux factus est multis  
qui Dominum in itinere orationis sequi vo-  
luerunt secundum Carmeli spiritum. Die  
II mensis Decembris anno MDCCCXCIV in  
regione Avarione, in Francogallia, est or-  
tus. Seminarium dioecesanum mature est  
ingressus atque sacerdos die IV mensis Fe-  
bruarii anno MCMXXII Segoduni ordina-  
tus. Statim post Ordinem Fratrum Discal-  
ceatorum B. Mariae V. de Monte Carme-  
lo est ingressus, quia spirituales divitiae sanc-  
ti Joannis a Cruce, quas novit dum in Se-  
minario adstaret, omnino eius mutaverunt  
vitam. Nomen sibi Mariam Eugenium  
a Jesu Infante, imposuit, quo Teresiam a  
Jesu Infante coluit eiusque Parvam  
Viam participavit. Recepit deinde charis-  
ma sanctae Teresiae a Jesu, matris Car-  
meli reformati. Sollemnia vota anno MCM  
XXIV nuncupavit atque missionem accepit  
praedicandi et scribendi ad spiritalem

Carmeli doctrinam diffundendam. Ex ac-  
ceptione in illis qui eum auscultabant con-  
scientiam percepit ~ se factum esse ut ani-  
mas ad Deum duceret ~. Anno MCMX-  
XXVII pater Maria Eugenijs electus est  
Definitor ad generale capitulum; sui Ordi-  
ni et Ecclesiae universali inserviit. Anno  
MCMXLVIII Summus Pontifex Pius Xlleum  
Visitatorem Apostolicum nominavit Soro-  
rum Carmelitarum Francogalliae atque  
deinde quaesivit ut in foederationem eas co-  
niungeret. Anno MCMXLIX publici iuris  
fecit volumen cui titulus est Deum videre vo-  
lo ~ Gallice: Je veux voir Dieu ~. Hoc in ope-  
re per manum lectorem ducit ab initio vitae  
spiritualis usque ad perfectam cum Christo  
coniunctionem adque docilitatem Spiritui,  
ad ministerium in Ecclesiam. Hoc fuit maxi-  
mi momenti opus quod deinceps eius vitam  
signavit. Anno MCMXXII una cum Ma-  
ria Pila Vindascae, in archidioecesi Ave-

nionensi, institutum condidit cuius missio est Deum viventem testificari eiusque misericordiam. Ad hoc propositum efficiendum, sodales ad orationem silentiosam efformantur adque donum sui ipsius, ut deinde in mundum mittantur, vivens exemplum considerantes patris Mariae Eugenio qui multum tempus orationi contemplativae dicavit, veluti Carmeli filius. Opus fundatum nomen accepit Dominae Nostrae a Vita; agitur de instituto saeculari, tribus cum ramis, saecularum feminarum, saecularum virorum et sacerdotum. Est iuris pontificii eiusque sodales, sicut etiam consocii et domus quattuor in continentibus sunt diffusi. Multi in toto orbe patrem Mariam Eugenio veluti patrem et magistrum agnoscunt qui eos auxit in gratia Baptismatis eisque animum addit ad vivendam evangelizationis laetitiam. Christum sacerdotem imitans, docilis Spiritui, consecrationi et sacerdotio

1  
fidelis fuit atque ardentem Ecclesiae et Carmelo inserviit. Ob Concilium Oecumenicum Vaticanum II peculiari repletus est gaudio atque futuras praevidebat magnas mutationes quas Spiritus Sanctus pro Ecclesia parabat. Cum esset provincialis Carmelitarum provinciae Avenionensis - Aquitaniae, repente die XXVII mensis Martii anno MCM-LXVIII pie in Domino obiit, postquam commonefactus est spiritum Carmeli in unione contemplationis et actionis esse vivendum. Augescente sanctimoniae fama, in archidioecesi Avenionensi die VIII mensis Aprilis anno MCMLXXXV Inquisitio dioecesana de vita virtutibusque est inchoata, quam Congregatio de Causis Sanctorum Decreto die XXV mensis Novembris anno MCMXCIV validam agnovit. Positione parata, Consultores Theologi in Congressu Peculiari die XIV mensis Julii anno MMX sententiam positivam circa theologales et

cardinales virtutes Servi Dei protulerunt. Pariter Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die XI mensis Octobris anno MMXI edixerunt Servum Dei heroum in modum virtutes exercuisse. Demum Summus Pontifex Benedictus XVI Congregationi de Causis Sanctorum facultatem dedit ut Decretum super virtutibus die XIX mensis Decembris eiusdem anni promulgaret. Pro Beatificatione praebita est deinde asserta quaedam mira sanatio, quam Consultores Medici eiusdem Congregationis iudicaverunt sub luce scientiae inexplicabilem. Consultores Theologi in Congressu Peculiari die I mensis Decembris anno MMXV sanationem divinitus patratam intercessioni Venerabilis Servi Dei adscripserunt; eiusmodi sententiam etiam Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die I mensis Martii anno MMXVI edixerunt. Nosmet Ipsi Congregationi de Causis Sanctorum facul-

tatem fecimus ut Decretum super miro die  
III mensis Martii anno MMXVI promulga-  
ret. Decrevimus etiam ut Beatificationis  
ritus die XIX mensis Novembris eodem an-  
no Avenionensi in urbe perageretur. Ho-  
die igitur eadem in urbe de mandato No-  
stro Venerabilis Frater Noster Ange-  
lus S. R. E. Cardinalis Amato, S. D. B.,  
Praefectus Congregationis de Causis Sanc-  
torum, textum Litterarum Apostolica-  
rum legit, quibus Nos Venerabilem Ser-  
vum Dei Mariam Eugenium a Jesu  
Infante in Beatorum numerum adscri-  
bimus: Nos, vota Fratris Nostri  
Joannis Petri Cattenoz, Archiepi-  
scopi Avenionensis, necnon plurimo-  
rum aliorum Fratrum in Episcopa-  
tu multorumque christifidelium ex-  
plentes, de Congregationis de Causis  
Sanctorum consulto, auctoritate No-  
stra Apostolica facultatem facimus

ut Venerabilis Servus Dei Maria  
Eugenius a Jesu Infante - in saeculo:  
Henricus Grialou, Sacerdos professus  
Ordinis Fratrum Discalceatorum B.  
Mariae V. de Monte Carmelo, Fun-  
dator Instituti Saecularis Dominae  
Nostrae a Vita, testis et magister ex-  
emplaris charismatis Tereſiani coniunc-  
tionis amoris cum Deo, Beati nomine  
in posterum appelletur, eiusque festum  
die quarta mensis Februarii in locis et  
modis iure statutis quotannis celebra-  
ri possit. In nomine Patris et Filii et  
spiritus Sancti. Clarus hic religiosus vir  
peculiarem ostendit spiritalem progressum,  
Christi eiusque Ecclesiae dilectionem atque  
insignia dedit pietatis testimonia. Studio-  
se salutiferas veritates nuntiare propere-  
vit, rerum adiuncta aetatis suae et condi-  
tiones vitae humanae perspicue conside-  
rans. Dum illius conspicimus virtutes

et pastoralis navitatis incepta, ad altio-  
rem usque in cotidiano itinere imitatio-  
nem Salvatoris incitamus adque sancti-  
tatem et proprii status perfectionem sequen-  
dam invitamus. Quae autem his Litteris  
decrevimus, nunc et in posterum rata et fir-  
ma esse volumus, contrariis quibuslibet re-  
bus minime obstantibus. Datum Romae, a-  
pud Sanctum Petrum, sub anulo Pesca-  
toris, die XIX mensis Novembris, anno Do-  
mini MMXVI, Pontificatus Nostri quarto.

Petrus Cord. Pardi  
Secretarius Status

